



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Polemica**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Helvetiorvm, 1678**

LXXVIII. De Extrema Unctione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

tutum; sed inter vitia & averfionem voluntatis à DEO fufceptum, ut bene declarat D. Hieronymus Lib. advers. Jovinianum; quomodo utique etiam flagellationes DEO non probabuntur. Coloffens. 2. loquitur Apostolus de Lege Moysaica & huic adhærentibus confuetudinibus aut superstitionibus Pharifæorum, qui à certis quibus cibis tanquam immundis se abftinebant. 1. Corinch. 9. verba D. Pauli præsertim adjunctâ interpretatione Patrum & Doctorum clara sunt; cur ergo in eis ad tropum fugiam, hoc est, nodum in scirpo quæram, nullam rationem video; nec sectarij quærent, nisi disciplinæ, hoc est, castigationis per verbera sponte fufceptæ capitales hostes essent. Ad 2. probationem. SS. Patres & univerfa Catholica Ecclesia, quæ asperrimam vitam & severas Sanctorum castigationes flagellis, cilicijs &c. exercitas semper approbavit & laudavit, novit utique, quid sanctiffimæ Passionis ac meritis Christi injuriosum fit, quid non, cur ergo toti huic Ecclesiæ & univerfis Patribus non potius fidem habeamus, quàm hæreticis hereticis & corporum fuorum ac voluptatum mancipijs? Quidquid istis corporum cruciatibus apud DEUM obtinetur, fit illud ex meritis & satisfactioe Christi, ut jam sæpe diximus. Taceo assumi durities has corporum non solum ad satisfaciendum, sed etiam carnem crucifigendam cum vitijs & concupiscentijs. Gal. 3. v. 24. Ad 3. nullius momenti esse hanc consecutionem; Ethnici hoc vel illud fecerunt. Ergo est illicitum. Alioquin multa rejici oportet, quæ in se mala non sunt, & ideo alio modo aliâque intentione rectè pièque fieri possunt. Gentiles utique sacrificia obrulerunt, orationes fecerunt &c. Nos idcirco DEO non sacrificemus? preces non offeramus &c? aut Populus Judaicus ideo non fuit ausus sacrificia offerre DEO? Patres etiam probè noverunt hunc Ethnicorum morem, & tamen Christianorum asperitates & corporum castigationes non reprehenderunt. Ad 4. Veritates sectariorum haud abfimiles esse mendacijs & fraudibus illorum sacerdotum Baals. Quidquid fecerint isti sacerdotes Baals. Sancti Patres & univerfa Ecclesia nunquam improbarunt flagellationes cæterasque corporis asperitates; imò easdem semper magni æstimarunt. Si diabolus aliquando Prædicantem ageret, ut fieri facilè posset, nunquid omnes prædicantes desinere velent, esse Prædicantes? Ad 5. & ultimam probationem, etiam nobis non placere flagellatores, non præcisè, quod flagellaverint se, sed quod modum & rationem excefferint, simulque in hæresin inciderint, ut patet ex Gerson allegato; quia in magno numero ex uno in alium locum se conferebant non absque periculo seditionis ac tumultûs recusantes obedire legitimo Magistratui: constat per experientiam, inquit Gerson. part. 1. pag. 637. operum fuorum, quod taliter se flagellantes non curant de Sacramento Confessionis vel Pœnitentiæ Sacramentalis dicentes; quod hæc flagellatio potior est ad delenda peccata, quàm qualibet confessio. Propter hæc & similia Flagellantes merito damnati omnibus displicuerunt.

✠:o: IHS. :o: ✠  
✠:o: ✠  
✠

CONTROVERS. LXXVII.

DE EXTREMA UNCTIONE.

Vocatur Sacramentum istud Extrema Unctio; tum quia per unctioe quandam confertur, tum quia est extremum omnium Sacramentum, & in extremo vitæ articulo adhibetur. Referunt nonnulli Authores, oleum in mare effusum sedare tempestatem. Verius sacrum istud oleum sedat fluctus tentationum à dæmone excitatarum in agone mortis, ubi maxime latet tempestas.

PARS PRIOR.

DOCTRINAE CATHOLICORUM.

I. **D**octrina prima. Extrema Unctio est verum proprièque dictum Sacramentum à Christo Domino institutum. Est de de Fide ex Tridentino sess. 14. can. 1. *Siquis dixerit, Extremum unctioem non esse verè proprièque dictum Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo promulgatum, sed ritum tantum à Patribus acceptum, aut signum humanum, anathema sit.* Fundamentum hujus articuli præcipuum est D. Jacobus Apostolus cap. 5. suæ epistolæ v. 14. sic scribens: *Infirmitur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in Namine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittetur ei.* Ubi omnia ad essentiam Sacramenti requisita exprimuntur; scil. ceremonia seu signum sensibile, unctio olei cum oratione: pignus seu promissio gratiæ ad remittenda peccata: mandatum divinum; inducat presbyteros, & orent super eum. Unde formatur hic syllogismus. Omnis ceremonia Sacra, sensibilis, stabilis in pignus gratiæ instituta est Sacramentum. Sed extrema unctio est ceremonia sensibilis, stabilis, in pignus gratiæ instituta. Ergo &c. Et quamvis Jacobus nullam faciat mentionem institutionis Christi, tamen ex ipso loquendi modo facilè colligitur; neque enim ausus fuisset tam asseveranter promittere remissionem peccatorum, nisi scivisset promissionem Christi, qui non dedit Apostolis potestatem instituendi Sacramenta, sed sibi reveravit.

II. Quando verò hoc Sacramentum Extremæ Unctiois fuerit institutum, non convenit inter Doctores. Aliqui volunt institutum fuisse Marci. 7. v. 3. ubi de Apostolis, sic legitur: *ungebant oleo egros, & sanabantur.* Alij putant institutum fuisse in ultima cœna, ut habetur ex traditione Apostolica, licet in Evangelio non exprimat, teste Fabiano Papâ, qui ante annos 1200. ad Episcopos orientales scripsit, & iussit eos, more Romano in cœna Domini novum chrisma consecrare, & vetus comburere hoc argumento; *in illo enim die Dominus JESUS, postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes (sicuti à SS. Apo-*

lu Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrysmata conficere docuit, Ubi nomine chrysmatis non solum intellexit oleum balsamo mixtum, quale in confirmatione usurpatur, sed etiam simplex oleum infirmorum; nam & in cœna Domini renovari solet, ut constat ex epist. i. Innocentij i. Papæ cap. 8. Sed contra priorem sententiam est. Tum quia per se ac primario Sacramenta pertinent ad salutem animæ. At illa unctio, de qua loquitur Marcus, solum pertinet ad sanitatem corporis, ut ex contextu patet. Tum quia Apostoli promiscue ungebant quoslibet ægros, cæcos, claudos &c. At Sacramentum Unctionis non datur nisi illis, qui sunt in periculo vitæ, item baptizati & fideles. Contra posteriorem verò. Quia non est probabile, Christum dedisse Apostolis potestatem conferendi extremam unctionem, antequam eisdem concesserit potestatem remittendi peccata, & absolvendi ab istis; siquidem Tridentinum Sess. 14. in doctr. de Sacramento Extremæ unctionis vocat Sacramentum hoc consummativum Penitentia. Quare multo probabilius est, idem Sacramentum Extremæ Unctionis insinuatam fuisse apud S. Marcum: dein promulgatum per S. Jacobum, ac deum institutum fuisse à Christo post Resurrectionem intra spatium illud 40. dierum, quibus Christus cum Apostolis versatus est. Act. 1. v. 3. Primum & secundum punctum hujus doctrinae aperte tradit Tridentinum Sess. cit. c. 1. tertium verò insinuat ab eodem per rationem ex illo adductam. Et aperte idem docent Suarez D. 39. sect. 2. Tanner Disp. 7. de Extr. unct. Q. 1. n. 8. & alij. Non obstat, in cœna Dominum docuisse Apostolos chrysmata, & etiam oleum infirmorum conficere; ex hoc enim plus non sequitur, quam dispositionem ac præparationem ibidem ad hoc Sacramentum præcessisse.

III. *Doctrina secunda.* Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum ab Episcopo benedictum; proxima verò est unctio in certis partibus. Prima pars est indubitata apud Theologos, & definitur à Tridentino c. 1. sumiturque ex cit. loco S. Jacobi; siquidem oleum simpliciter dictum consueto usu loquendi significat oleum propriè olivarum, non autem olea hœcicia è varijs herbis per medicos expressa. Ratio conveniens desumitur ex effectibus & significationibus olei, quod & pacis seu tranquillitatis symbolum est Genes. 8. v. 11. & pinguedinem gratiæ ac Spiritus Sancti denorat juxta. D. Gregorium L. 4. in 1. Regum c. 4. Atque olim ab Athletis certaturis adhibebatur. Altera pars traditur à Concilio Florentino Sess. ult. Unionis, & Tridentino loc cit. ubi absolute pro materia hujus Sacramenti constituitur oleum ab Episcopo benedictum, quâ ratione de aqua baptismi non loquuntur. Unde communiter docent Theologi, hoc oleum benedictum esse non solum de præcepto, sed etiam de necessitate Sacramenti. Ratio convenientiæ est, quia cum oleum ad effectum Sacrum & sublimem adhibeatur: neque tamen id Sacramentum adeo omnibus necessarium sit ad salutem, conveniens erat, ut ex ipsâ Christi institutione virtute Christi per supremos Ministros ad inferiores derivatâ ab Episcopo prius benediceretur, quàm ad usum Sacramenti adhiberetur. Non refert, à Jacobo solum requiri oleum, non autem benedictum. Quia ex usu

& traditione Ecclesiæ habemus, Apostolum non simplex, sed benedictum oleum loc. cit. intellexisse. Ultima pars est communis Doctorum. Tum quia Jacobi cit. loc dicitur: *ungentes oleo.* Tum quia Trident. Sess. 14. c. 1. sic habet: *intellexit enim Ecclesia, materiam (nempe remotam) esse oleum ab Episcopo benedictum; nam unctio (utique velut materia proxima) apertissime Spiritus Sancti gratiam, quâ invisibiliter egrotantis anima inungitur, representat.* Tum quia aliàs unctio ipsa quasi post confectum jam Sacramentum validè & efficaciter à quolibet Ministro applicari posset.

IV. Cæterum unctio olei (quod illius anni novum esse debet) à sacerdote ex consuetudine fit per modum Crucis, licet id non sit de necessitate Sacramenti, sicuti nec invocatio sanctissimæ Trinitatis. Hanc unctionem in septem partibus corporis fieri posse, scilicet auribus, naribus, ore, manibus, pedibus, & renibus, colligitur ex Florentino, Sed in renibus saltem feminæ non unguuntur ob decentiam, nec ubique fit unctio in pedibus. Quinque autem priores sunt haud dubiè de necessitate præcepti, ut constat ex constanti usu universalis Ecclesiæ, à quo in re gravi nefas est discedere. An etiam sint de necessitate Sacramenti, in dubium vertitur? Affirmativa sententia videtur probabilior. Tum ex recepta consuetudine in Ecclesia. Tum ex consensu communi Theologorum. Tum quia Sacramentum hoc significat perfectam sanationem hominis, ad quam fuit ordinatum; ista autem integra sanatio perfectè non representatur, nisi per unctioem quinque sensuum, qui sunt veluti radices morborum spiritualium. Videri potest Tanner Tom. 4. Disp. 7. Q. 1. cit. n. 6.

V. *Doctrina tertia.* Forma hujus Sacramenti est deprecatoria, quâ Sacerdos infirmis auxilium & misericordiam à DEO precatur, ut constat ex cit. verbis Apostoli Jacobi, qui licet specialem formam unctionis non præscripserit, tamen Ecclesia declaravit hanc formam: *Per istam sacram unctioem, & per suam piissimam misericordiam indulgeat tibi DEUS, quidquid deliquisti per visum &c.* Et sic de reliquis. Dubitatur. An necesse sit, formam hujus Sacramenti esse deprecativam? Negant aliqui, quos sequi videtur Becanus de hoc Sacramento q. 4. Affirmant communiter cæteri. Tum ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, & Tridentino c. 1. cit. Tum ex perpetuo usu Ecclesiæ atque hujus traditione. Tum quia sic voluit Christus, ut colligit Ecclesia ex verbis Jacobi c. 5. cit: *orent super eum.* Non obstat, Formam Ambrosianam & venetam non esse deprecativam: item Baptismi & Penitentia Formam à D. Augustino & Leone 1. vocari *supplicationem Sacerdotis.* Nam Forma Ambrosiana & veneta solum ut præparatoria fuit adhibita. Baptismi autem & Penitentia Forma non nisi virtualis & impropria deprecatio vocatur, videatur Palao de Extr. unct. Disp. unica. pun. 4. num. 1.

VI. *Doctrina quarta.* Subiectum capax hujus Sacramenti est homo hisce conditionibus affectus. 1. debet esse Christianus & baptizatus; quia absque baptismo nemo est capax ullius Sacramenti recipiendi, ut docuit Florent. in decreto Eugenij. 2. viator; quia Sacramenta solum pro viatoribus sunt instituta; unde in dubio, an inungendus adhuc vivat sub conditione saltem mente retentâ adminstrandâ est unctio, ut do-

cet Layman L. 5. Tr. 8. cap. 8. n. 2. & communitate alij. 3. adultus, hoc est, qui rationis usum vel habeat, vel aliquando habuerit; quia infantes aut perpetuo amentes hujus Sacramenti capaces non sunt, ut insinuant verba illa Jacobi: *Infirmatur quis; inducat presbyteros: item si in peccatis sit, remittentur illi*; etenim infans nec peccare nec vocare presbyteros potest, sicut etiam amens perpetuo. Non inferri hinc potest, ijs etiam non concedendum hoc Sacramentum, qui actu non habent rationis usum, etiam si habuerint. Nam sufficit a apud istos habitualis petitio, & quæ aliquando recesserit, quæ præsumitur ex eo, quod infirmus christianè vixerit. Pueris quoque sufficientem usum rationis habentibus non neganda extrema unctio, tamen si sacram Eucharistiam non percipiant, cum inde nonnunquam salus illorum dependere possit. 4. debet infirmus esse; quia illi, qui bene valent, possunt agere poenitentiam; hoc autem Sacramentum est specialis misericordia, quæ exhibetur ægrotis, qui poenitentiam agere, & satisfactionem externam subire non valent. 5. graviter infirmus, ita ut medicorum iudicio periculum sit vitæ. Ita Floreat. An. 1438. sub Eugenio IV. dicens, *hoc Sacramentum non nisi infirmo, & de cuius morte timetur, dari debet*; quod ipsum fufius tradit Tridentinum Sess. 14. cit. c. 3. Unde hoc Sacramentum ministrari non potest damnatis ad supplicia, parturientibus mulieribus, pugnancibus in bello periculoso, aut committentibus se certo vitæ discrimini ex quavis alia causa; potest tamen administrari senibus, quia senectus ipsa est morbus. 6. non excommunicatus. 7. denique debet sciens non esse in peccato mortali, sed prius confiteri, si potest, ut absolvatur. Porro quamvis hoc Sacramentum iterari possit, non tamen in eadem infirmitate & periculo. Quod si ægrotus convaluerit, & postea iterum incidat in tale periculum, potest reiterari, nec expectandum est, ut ægrotudine amittatur usus sensuum; hoc enim pertinet ad abulum potius, quam ad rectum usum hujus Sacramenti.

VII. *Doctrina quinta.* Minister hujus Sacramenti validè administrandi est solus Sacerdos. Ita Concilium Florentinum in decret. Eugenij, & Tridentinum Sess. 14. can. 4. colligiturque aperte ex illo Jacobi 5. v. 14. *Inducat Presbyteros.* Nam quamvis Presbyter secundum græcam etymologiam significet seniore, & sic nonnunquam in Scriptura usurperetur; tamen hic pro Sacerdote accipiendum definit Concilium Tridensinum can. 4. cit: *Siquis dixerit, Presbyteros Ecclesie, quos B. Jacobus inducendos esse ad infirmum inungendum horiatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinaros, sed etate seniores in quavis civitate, ob idque proprium Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.* Atque hunc sensum D. Jacobi ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesiam didicisse, testatur idem Tridentinum c. 1. Non obstat Innocentius I. Epist. ad Decentium asserens, non solum Presbyteris, sed omnibus etiam Christianis licitum esse, uti sacro oleo in sua & suorum necessitate ungerent. Quia vel non loquitur de unctione Sacramentali, sed de unctione pia & devota, ut cum aliquibus sentit Valentia Tom. 4. Disp. 8. Q. 2. pun. 1. vel non de usu activo hujus Sacramenti seu de administratione, sed de usu passivo, hoc est, de illius susceptione, ut cum alijs docet Coninck D. 19. dub. 8. num. 27. Congruentia doctrinæ nostræ est. Quia hoc

Sacramentum est perfectius Sacramento Poenitentiae, utpote hujus consummativum & succurrens homini in majore necessitate. Ergo Minister illius non debet esse inferioris ordinis: quia verò est imperfectius Confirmatione & Ordine, ideo non requirit Episcopalem dignitatem. Deficiente Parocho potest quilibet alius Sacerdos licet conferre, quia in tali casu censetur adesse tacita Parochi licentia, aliàs irrationabiliter censetur invitus. Juber quidem D. Jacobus vocare presbyteros in plurali numero, quasi unus ad ministerium hoc non sufficeret; sed utitur plurali numero pro uno ex pluribus juxta morem Scripturæ, sic enim Matth. 27. v. 44. dicuntur Latrones in cruce Christo impropersse, id est, unum ex latronibus; alter enim bonus illum defendit, & socium maledicum reprehendit. Quod si periculum foret, ne infirmus ante moreretur, quam ab uno Sacerdote integrè inungeretur, probabilis est, posse plures simul hoc Sacramentum conferre, & diversarum partium unctiones, & correspondentes formas. Sed de hoc Theologi morales.

VIII. *Doctrina sexta.* Effectus hujus Sacramenti varij sunt, ut constat ex Trident. in proemio, 1. est augmentum gratiæ sanctificantis, quam præsupponit in subjecto. Quia hoc Sacramentum non est mortuorum, sed vivorum. Unde si æger sit conscius sibi peccati mortalium, debet illud prius per poenitentiam expiare; Nam impoenitentibus non conferendam extremam unctionem, ait Innocentius I. epist. 1. cit. c. 8. Putant aliqui gratiam sanctificantem, quatenus est ex divina institutione remissiva peccatorum venialium, esse præcipuum hujus Sacramenti effectum. Sed male; quia primarius & præcipuus effectus hujus Sacramenti non conceditur sub conditione, sed absolute, cum sit infallibilis & certus non ponentibus obicem. At per accidens est, quod recipiens extremam unctionem in peccatis existat.

IV. 2. est Collatio primæ gratiæ sanctificantis, si æger vel per ignorantiam, vel propter defectum rationis non poterit confiteri, tunc enim per accidens extrema unctio confert primam gratiam sanctificantem, & peccatum mortale delet, ut dictum in Controvers. de Sacrament. in genere, modò præcesserit aliqua saltem generalis attritio, sicut præsumitur de Catholicis repente periculo oppressis. Unde multi per Extremam unctionem salvantur aliàs damnandi, ut plarè non negligendus sit ejus usus. Dicit forsitan aliquis, Tridentinum effectus hujus Sacramenti enumerans primo loco ponere peccatorum remissionem: *Gratia, inquit, Spiritus Sancti, quæ delicta, sique sunt expianda, abstergit.* Aio, Concilium non loqui de effectu, qui per formam absolute significatur, sed de eo solum, qui sub conditione & quasi præter intentionem, ut recens dictum.

X. 3. Igitur effectus & primarius hujus Sacramenti est Gratia habitualis non arcunque sed secum infallibiliter trahens auxilia & gratias prævenientes, quibus ægroti animus alleviatur, confirmatur, & roboratur ad ultimam eamque periculosissimam luctam cum dæmone, qui in fine vitæ vehementissimè oppugnat (non raro visibili etiam specie) præcipua fundamenta salutis hujusmodi, & charitatem suggerendo dubia contra fidem, desperationem de misericordia DEI, odium proximi, aut vanam fiduciam in proprijs meritis. Quemadmodum igitur corpus per Spiritus vitales ex cibo

ex cibo & potu genitos roboratur ad labores & pugnas, sic animus per bonas cogitationes & affectus à Spiritu Sancto suppeditatos (qui vocantur actuales gratiæ) confirmatur ad sustinendos morbi dolores, & vincendas dæmonis tentationes, quam D. Jacobus vocat alleviationem. Itaque primarius & præcipuus Effectus hujus Sacramenti est finalis perseverantia in Gratia sanctificante usque ad mortem, unde dependet salus æterna; qui enim perseveraverit usque ad mortem, hic salvus erit Matth. 10. v. 22. Videatur Trident. Sess. 14. in præmio. Dixi effectum esse gratiam habitualementem secum trahentem auxilia &c. quod intelligi debet, quando æger illis auxilijs indiget: secus si illorum est incapax, vel quia est phreneticus, vel quia sensibus destituitur &c.

XI. 4. denique effectus hujus Sacramenti est Sanitas corporis juxta promissum D. Jacobi loc. cit. quod frequens experientia probat. Nam multi ægroti à Medicis desperati per hoc Sacramentum repente sibi restituti sunt. Hæc tamen Sanitatis promissio cum tacita conditione est intelligenda, si longior vita salutis animæ conducatur, ut exponit Tridentinum Sess. 14. c. 2. Unde etiam effectus iste propius quidem est, sed secundarius. Sortus in 4. Dist. 23. Quest. 1. art. 2. putat, hoc Sacramentum nunquam habere effectum, prout expedit animæ, sed prout vis morbi eum admittit; ut proinde sanitas non sit effectus solius Sacramenti, sed etiam coöperantis naturæ. Ratio ipsius est præcipua, quia sæpe moriuntur, qui si viverent, meliores scilicet alij vivunt, qui deteriores sunt. Ergo Extrema unctio non concedit sanitatem, cum expedit. Verum hæc opinio adversatur tum communi sententiæ Theologorum, tum Concilij Florentino & Tridentino definientibus, istud Sacramentum interdum, concedere sanitatem corporis, videlicet quando animæ expedit. Ratio sumitur ex institutione Christi pro benignitate sua volentis totam homini sanitatem conferri. Nec dici sine absurdo potest, virtutem Sacramenti ita limitatam esse, ut gravitatem morbi superare nequeat; cum virtute supernaturali operetur. Ad rationem adductam dicimus, incertum esse, an illi, qui moriuntur, meliores forent; & esto, meliores futuri essent, tandem mutarentur: quod verò alij vivant, qui deteriores evadunt, non inde inferitur, sanitatem illis ex Sacramento obvenisse, cum ex naturalibus causis illam obtinere potuerint. Ad hæc pro aliquo tempore sanitas corporis salutis animæ expedire potuit, ob eamque causam vi Sacramenti concedi, tamen occurrentibus tentationibus fructus ille amittatur; etenim, ut beatus notat Suarez D. 41. sect. ult. n. 5. necessum non est, ut fructus spiritualis, ob quam corporis sanitas vi Sacramenti conceditur, sit perpetuus per totam vitam, sed secundum ordinem dispositionis divinæ. Videri possunt Ferdinandus de Castro Palao, & alij Theologi Morales.

## PARS POSTERIOR.

## ERRORES HAERETICORUM.

XII. Error primus. Extrema Unctio non est in numerum Sacramentorum admittenda. Ita post

antiquiores aliquos hæreticos Lutherus Lib. de captivitate Babyl. cap. de Extrema unctio, quem sequuntur hodie communiter Lutherani apud Gerhardum in Confess. Augustana Lib. 2. P. 3. à fol. 191. Item Calvinus, qui non solum negat hoc Sacramentum, sed multis modis subannat Lib. 4. c. 19. §. 18. aïens: tertium Sacramentum est extrema unctio &c. Et post pauca: *eiusdem rationis est ista unctio, cujus esse manuum impositionem supra demonstravimus; histrionica hypocrisis.* Fundamentum Lutheri & suorum est, quod in Sacra Scriptura Extrema unctio non reperitur; Nam Epistolam illam S. Jacobi dicunt non esse canonicam; nec inter libros sacros numerandam; cum multi olim Patres de ejus autoritate dubitarint. Addit Gerhardus fol. 193. nullum extate exemplum; quod Sancti viri in extremis agentes oleo injungi voluerint. Calvinus cap. cit. §. 21. ait. Sigbertum in chronico referre, hoc Sacramentum ab Innocentio I. fuisse institutum.

XIII. Errorem hunc universa rejicit Ecclesia Latina & Græca; quæ etiam ista semper agnovit Extremam Unctionem tanquam verum Sacramentum etiam postquam ab Ecclesia Romano-Catholica defecerat; quod evidens est argumentum; ab antiquis Sanctis Patribus doctrinam hanc Græcos accepisse; quod ipsum fatetur aperte Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus Respons. 1. cap. 7. ubi enumerat septem Ecclesiæ Sacramenta, & dicit, non esse plura & pauciora; & inter illa Extremam unctionem recenset, de qua sic scribit: *Sacrum verò oleum & hoc nobis est traditum, & ipsum est divinum Sacramentum, divina nobis misericordie typum representans, quod in redemptionem & sanctificationem illis, qui à peccatis convertuntur, confertur solet, multis infirmitatibus nos sublevat, &que, qui illo dignè utuntur, sanctificat &c.* hæc ille. Unde cum S. Augustino Epist. 118. dicimus: *siquid per orbem frequentat Ecclesia; hoc, quoniam ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Constat autem, quod non tantum hodie per universum orbem Latinum & Græcum hoc verum Sacramentum frequenterur, sed jam in antiqua tota Ecclesia semper frequentatum fuerit; nec aliud ejus initium, quam à tempore Apostolorum fuisse, ostendi potest. Insolentissima igitur insania & blâphemia est Sectatorum, hoc Sacramentum negare; imò etiam ut histrionicam hypocrisin subannare.

XIV. Respon. ad fundamentum Lutheri & suorum adherentium; hæresiarcham istum post tot sæcula, & contra tantam autoritatem atque universæ Ecclesiæ consensum D. Jacobi Epistolam impudenter oppugnare, contemptim stramineam appellare, & ex canone sacrorum librorum impiè extirpare. Dubitarunt quidem olim de illa nonnulli Patres, sed hæc dubitatio non fuit diuturna, sed tantum duravit usque ad Concilium Carthaginense III. provinciale quidem, sed confirmatum in VI. Synodo generali, ubi can. 47. *Placuit, inquit, ut præter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine Scripturarum. Sunt autem Canonice Scripturæ à Genesis &c. (Epistola) Jacobi una.* Hunc canonem accepit Concilium ab Innocentio I. Pontifice, qui vixit an. Chr. 402. Et deinceps eundem omnes Patres tenuerunt humiliter prædicti Concilij decreto se submittentem, sicuti etiam alij omnes boni Catholici acquieverunt, uti supra jam in Controv. de SS. Scripturis diximus. Quare Lutherus

therus canonicam hanc Epistolam D. Jacobi appellando stramineam, dignus profecto est, qui ob suam blasphemiam non instar straminis cito conflagret, sed æternum vratur & nunquam comburatur. Ad id, quod adiecit Gerhardus, dicimus, non extare ejusmodi exempla, quia non scribuntur res notissimæ & quotidianæ. Ad Calvinii additamentum negamus, Innocentium I. instituisse Extremam Unctionem, ut satis aperte ex ipsius patet verbis. Sed etiam ipse Sigebertus id non dicit, sed solum refert verba Innocentij. Et si quoque Sigebertus longè posterior id de Innocentio ex falsa sua opinione dixisset, quid ad rem istud? cum veritas ex ipsomet Innocentio & tot aliorum Patrum testimonijs constet, quæ videri possunt apud Verweis in Specul. Eccl. fol. 818.

XV. *Error secundus.* Extrema Unctio, prout à Papistis exercetur & adstruitur, non convenit cum epistola D. Jacobi. Ita hodierni Calvinistæ, qui concedendo epistolam D. Jacobi esse canonicam contendunt, eam nobis non patrocinari ob multiplex, inquirunt, discrimen, quod inter unctionem à S. Jacobo descriptam, & nostram Extremam unctionem intercedit. Nam 1. Jacobus generatim omnes infirmos inungi jubet: Papistæ ad moribundos restringunt. 2. Jacobus exigit plures Presbyteros: Papistæ unicum sufficere arbitrantur. 3. Jacobus nomine Presbyterorum intelligit seniores judicio pollentes, qui discernere valeant, an expediat, miraculosam sanitatem expetere, ne DEUS tentetur: Papistæ solos vocari volunt Sacerdotes, qui subinde sunt adhuc juvenes, indifcreti, sine judicio &c. 4. Jacobus contentus est quâlibet oratione ex fide profecta: Papistæ certa verba requirunt, esseque divinam misericordiam alligant. 5. Jacobus non determinat certam partem corporis, quæ oleo inungatur: Papistæ certa membra & sensuum organa determinant; & quàm ridiculum est, cæco dicere, quidquid deliquisti per visum, cum nihil unquam viderit? 6. Jacobus non exigit oleum benedictione Episcopali consecratum: Papistæ exigunt, & oleum prius exorcizari volunt, quasi à dæmone possideretur, eoque tam feroci, ut non nisi ab Episcopo expelli possit. 7. Jacobus omnem vim sanitatis & remissionis peccatorum precibus adscribit: Papistæ oleo tribuunt egeno elemento. 8. Jacobus ad effectum harum precum requirit fidem, quâ certò credamus, nos impetraturos, quod petimus: Papistæ talem fidem non habent, sed de effectu dubij hærent. 9. Jacobus suadet unctionem ad vitam prolongandam: Papistæ ijs tantum adhibent, quos certò morituros credunt absque ulla spe sanitatis. 10. Jacobus generatim loquitur de peccatis remittendis: Papistæ restringunt ad peccata sensuum, quidquid deliquisti per visum. 11. Jacobus nomine alleviationis intellexit erectionem corporis, ut indicat græcum verbum *ἕγερσις*, nempe redditis cruribus, ut infirmus possit è lecto surgere: Papistæ nescio quem reliquiarum peccati expunctionem significatam volunt. Hinc inferunt Calvinistæ, unctionem, de qua S. Jacobus fuit locutus, non esse Sacramentum, sed vel naturalem, medicaminis applicationem, vel miraculosam curationem, de qua Marc. 6. cit. quæ tamen gratia Apostolis concessa pridem cessaverit. Addit his Amelius Tom. 3. fol. 243. argumentum 12. cur Unctio Extrema non

fit Sacramentum, quia non habet effectum inlibabilem more aliorum Sacramentorum.

XVI. *Error hunc,* quod Extrema Unctio non fit verè proprièque dictum Sacramentum à Christo institutum, & à S. Jacobo c. 5. cit. promulgatum, sed nescio quid aliud inferius, rejicit & damnat Ecclesia Catholica in Concilijs Tridentino, Florentino, Viennensi, Laceranensi, Moguntino sub Rabono, Aquisgranensi, Melidensi, Wormatiensi, Cabilonensi, & Niceno 1. in Arabic. can. 68. Consentiant Patres, quorum copiosum indicem texuit P. Nicolaus Serrarius in Disp. de Extrema Unctione thes. 20; quod certè omni pio Catholico viro sufficere potest, & debet contra omnes insultus, quos frivolis suis rationibus attentant Novatores, ad quas ex dictis abunde patet. Ne tamen in ulla illarum vis aliqua esse videatur, singularum inanitatem breviter ostendemus.

XVII. *Respon.* igitur ad 1. D. Jacobum nomine infirmitatis non quamlibet, sed periculosam & lethalem morbum intellexisse, ut diximus. Ad 2. nomen plurale Presbyterorum pro singulari accipi juxta phrasin scripturæ, sicuti Christus Luc. 17. v. 14. dixit Leprosis: ostendite vos sacerdotibus, id est, sacerdoti uni Ad 3. nomen Presbyteri variè sumi in scriptura, modò pro senioribus, modò pro sacerdotibus, ut ostendit Card. Bellarminus Lib. 1. de Clericis c. 14. & 15. Hic autem pro sacerdotibus accipiendum, declaravit Ecclesia per Apostolicam traditionem edocta, cui favet materia subtrata, quia remissio peccatorum ad sacerdotes spectat, quibus humanæ salutis cura incumbit, non Laicis juxta id Malachia 2. v. 7: *Labis sacerdotum custodiunt scientiam, legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Ad 4. formam extremæ unctionis ab Ecclesia præscriptam non esse huic Sacramento essentialem, sed sufficere verba æquivalentia. Et quamvis D. Jacobus certam orandi formulam non præscripserit, tamen utique intellexit fini accommodatam orationem, quæ scilicet petatur remissio peccatorum. Unde verba illa: *& suam misericordiam piissimam,* quæ habentur in Florentino, videntur essentialia; eoisps enim, quod sacerdos dicat, indulgeat tibi DEUS, satis postulat misericordiam divinam, quæ nititur deprecationi, quia DEUS ex misericordia sua peccatoribus veniam concedit. Ad 5. velle quidem aliquos Theologos non improbabiler, determinationem certarum partium corporis oleo inungendarum non esse essentialem, sed sufficere cujuslibet membri inunctionem v.g. frontis, modò congrua forma adjungatur: alios verò Doctores consuniter velle, quinque organa sensuum esse inungenda, quos supra §. IV. secuti sumus, quia hoc tenet recepta in Ecclesia consuetudo. Neque absurdum est, cæcis postulare veniam peccatorum per visum commissorum; licet enim actuali visione non peccaverint, potuerunt tamen peccare illicito desiderio videndi, sicuti Eunuchi impotentes fornicari possunt peccare desiderio fornicandi Ecclesiast. 26. v. 2. *concupiscentia spadonis devirginavit juvenulam.* Ad 6. benedictionem Episcopalem olei non esse essentialem, huic Sacramento, docere quidem aliquos, quos sequitur Serrarius thesi 83. in Disp. de Extrem. unct. Sed oppositam sententiam tanquam proba-

biliorem supra §. 3. dedimus. Neque ideo exorzatur oleum, quasi à dæmone possideretur, sed quod eo, sicuti & alijs creaturis, ad nostram penitentiam abuti diabolus soleat, nisi à Deo prohibeatur, ideo per exorzismos jubetur DEI nomine illo abusu abstinere. Ad 7. Sicuti remissio peccati originalis Sacramento Baptismi: & actualium Pœnitentiæ ad scribitur, ita remissio reliquiarum peccatorum extremæ unctiōni tribui, à quo Sacramento preces hocipso non excludimus, quod juxta D. Jacobum. formam deprecativam requiramus. Cæterum quidam Theologi reliquias ex peccato originali vocant inclinationem ad malum, & difficultatem ad bonum: ex actuali verò phantasma, vel habitum, quibus redditur vitium facile, & virtus difficilis; has reliquias tolli volunt, dum per hoc Sacramentum conceditur robor medijs auxilijs excitantibus, per quæ difficultates prædictæ superantur; Alij malunt reliquias illas dicere, peccata mortalia, aut venialia post cætera Sacramenta relicta: item torporem, merorem, & anxietatem ex peccatis relinqui solita; quo modo acceptæ reliquæ etiam per gratiam Sacramentalem tolluntur.

XVIII. Ad 8. nos credere, quod extrema unctio sit verum Sacramentum Novæ legis à Christo institutum, & firmissimè confidere, ejus nos effectum obtenturos, si illud rite pièque suscipiamus: Fiduciam illam Lutheranorum, in cuius excitatione & roboratione totam Sacramentorum efficaciam ipsi ponunt, tanquam inanem alibi jam rejecimus. Ad 9. utrumque fieri sub diversa ratione, in ordine ad sanitatem corporis restituendam, si hæc expediat æternæ animæ salutis: in ordine ad felicem egressum, si DEO visum sit, filium vitæ rumpere. Ad 10. Cum omne peccatum sit libera præcepti transgressio, nullum propriè à sensibus committi, in iisque subijci posse, sed causam immediatam, & sedem ejusdem solam esse voluntatem, quæ formaliter & unice libera est; inunguntur tamen sensus, & sit deprecatio eorum, quæ homo per sensus deliquit, quia peccata per sensus veluti per primas portas ingrediuntur, & per alias potentias se insinuando tandem à voluntate admittuntur. Ad 11. D. Jacobum non de corporali sed spirituali erectione fuisse locutum, sicuti supra §. X. diximus. Ad 12. denique additamentum Amelii, promissionem absolutam non esse de sanitate corporali, sed de gratia Sacramentali, hoc est, de gratia Sanctificante trahente secum auxilia, & gratias prævenientes, quibus ægroti animus alleviatur, ut supra diximus, qui effectus est etiam infallibilis, nisi obex ponatur. Urget idem fol. 244. contra effectum hujus Sacramenti, quem diximus esse, reliquias ex peccatis tollere; absterio, inquit, peccati quoad culpam in Pœnitentiæ Extremæ Unctiōnem antecedente habetur: absterio autem quoad penam vel satisfactionem vel indulgentiam juxta Papistas requirit. Dicimus, per hoc Sacramentum remitti peccata mortalia ea tantum, quorum quis conscientiam non habet sive ob oblivionem sive ob morbi gravitatem; etenim illa, quorum conscientiam habet, debent Sacramento Pœnitentiæ expiari. Conducit itaque tunc, quando quis ad remissionem peccati mortalis jam quidem fuit confessus & communicavit, attamen id non rite per egit, & quidem præter advertentiam illius: aut

certè rectè utrumque fecit, sed postmodum peccato se lethali, quod supplicio æterno luendum foret, obstrinxit, sed hoc quoque non considerat, & ad illud non advertit. Et hoc insinuat S. Jacobus c. 5. v. 11. ajens: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Declarat verò Tridentinum Sess. 14. c. 2. iniquis: *Unctio Spiritus Sancti delicta, siquæ sunt adhuc expianda, abstergit.* Quodsi lethalia etiam peccata modo prædicto remittuntur in hoc Sacramento, multò magis venialia, quæ sunt reliqua. Unde etiam istud Sacramentum idem Tridentinum in præmio ad Extrem. Unctiōnem vocat consummativam totius vitæ Christianæ.

\*\*\*\*\*

## CONTROVERS. LXXVIII.

### DE INDULGENTIIS.

**H**æc est materia, quam non malè dixerim Petram Scandali; ex ea enim Martinus Luther perversionis suæ sumpsit initium, & postea susque deque vertendo omnia maximo Ecclesiæ & Germaniæ damno in hæresiarcham pestilentissimum evasit. Nam cum ordo Eremitarum S. Augustini, (in quo ipse Monachum egit doctrinâ & eloquentiâ non incelebris) per multos annos in Moguntina Archiepiscopi sacras indulgentias promulgare consuevisset: anno autem Domini 1517. Albertus Margravius Brandenburgensis Archiepiscopus Moguntinus Elector & S.R.E. Cardinalis illarum indulgentiarum promulgationem Ordini S. Dominici commisit, id adeo sensit Lutherus, ut superbiâ, ambitione, irâ, & invidia stimularus ceperit publicè eas carpere, vilipendere, & disterijs traducere, nec ab hac audacia & impietate sua desistere, usque dum alia, ex alijs in Ecclesia Romano-Catholica reprehendere, contemnere, & abijcere fuerit ausus ac tandè contumax Religionem simul ac Fidem abjecerit, ipsam quoque Ecclesiam è culmine suo dejecturus, si turpissimus Apostata id potuisset. Videri potest Floremundus Remundus in historia hæresum à fol. 36. Tractant Authores de Indulgentijs communiter post Pœnitentiâ; sed quia etiam Extrema unctio ad reliquias saltem peccatorum tendit tollendas, utriusque subjungimus easdem, postquam enim homo per utrumque Sacramentum à peccatis æternòque cruciatu sit liber, à temporali quoque pœna per Indulgentias solvitur.

\*\*\*\*\*

## PARS PRIOR.

### DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

**I**ndulgentiæ Nomen non sumitur hic pro conniventia, sed remissione alicujus debiti, quo modo usurpatur tum in Scriptura, quando DEUS indulgere peccatoribus dicitur, tum à Patribus Hieronym. in cap. 4. Danielis, Augustino in Psal. 101. & alijs, ut proinde Ecclesiastico usu Indulgentia idem sit ac relaxatio, condonatio, venia &c. alicujus debiti.